Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1925

Quelle:
Copyright:

jus finis fuiſſe videtur, *Albertum* penitus in *Baſileenſium* partes pertrahere, quibus Academiam adhuc prorſus addictam fuiſſe, e Noſtri Oratione liquet. Eſt ea extemporalis; ait enim Orator Legati praeſentiam *a paucis circiter horis* Rectori Acad. innotuiſſe. Exordi-tur: *Quatenus pro ſublimibus excelſis quoque humillima, pro maximis tantilla* &c. exponitque illud Luc. 7. *Propheta magnus ſurrexit in nobis* &c. quod haberi dicit in *currentis dominice euangelio.* Igitur erat Dominica XV. poſt Pentec. Propheta primum eſt illi Chriſtus, dein Concilium, demum Legatus ipſe, cujus beneficia *Baſileae* in ſe collata gratus commemorat. 27) *In exequijs Sereniſſimi Domini Alberti Romanorum regis.* 1439. *Cecidit corona capitis noſtri.* Thren. ult. Initium: *Quid eſt, quod tam crebro exequias flebiles agimus, quid, quod tam crebro memoriam defunctorum celebramus, niſi ut cogitemus, quantis amaritudinibus* &c. Magnae, ſed verae laudes Principis ante diem rapti, de quo *Sigismundus* ſocer dicere auditus: Felicia fore illa regna, quibus talis Princeps obtigiſſet. Inter alia ait Noſter: Ipſum virginem cum ſua intacta conthorali omnis alienae corruptionis expertem vixiſſe, *prout in quodam familiari colloquio iureiurando firmare me aſtante non erubuit.* 28) abſque Inſcriptione oratio in illud: *Veritatem tantum et pacem diligite. Zach. c.* 8. Salutat Noſter Academiae nomine *Alberti* Succeſſorem *Fridericum* deinceps Imp. III. *In ſignum*, ait, *congratulationis poſt deceſſum Inuictiſſimi et generoſiſſimi d. noſtri regis et fundatoris, quod talem fundatorem et protectorem habere meruit, ſe repreſentat alma vniuerſitas Wyenn. in ſuis doctoribus et magiſtris coram veſtra Serenitate* &c. alluditque ad Thema ſuum e nomine Principis *Friderici*, i. e. *Friedreich* Dives Pacis. Obſervo in hac et ſimilibus hujus aevi Allocutionibus Oratores nequaquam exaggeratis laudibus indulgere, ſed illas opportunis temperare monitis. 29. *Collatio die declarationis Sereniſſimi domini Friderici Regis pro domino Nicolao papa V° 1447.* (die 11. Sept.) *prothi et Jacincti.* Habita ad Facultates Academicas, quae, et praecipue Artiſtica, *Nicolao* obſequium detrectabant. Thema: *Dico autem vobis, quod multi Reges et prophete voluerunt videre, que vos videtis, et non viderunt. Luc.* 10. Poſtquam Orator de ortu et progreſſu rumorum curioſe praeluſiſſet, a temporibus *Sigismundi* Imp. quid ad obtinendam Eccleſiae pacem et unionem, praecipue in Imperio Rom. actum, tentatumque fuerit, commemoratis omnibus Principum Comitiis ſuccincte et utiliter exponit, et demum concludit: *Ideo vt poſt tot labores et vias attemptatas in vanum nunc pateat mundo, quod in antea* (in futurum) *per Regiam celſitudinem non ſtet, quo minus ſuo tempore ad pacem et vnionem Eccleſie et generale indubitatum Concilium perueniatur, de preſenti*